DIAGNOSIS
MORBORUM PARTIS CARDIACAE ET PARTIS MEDIAE VENTRICULI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDUM

SCRIPSIT

ET DIE III. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXVIII

PUBLICE DEFENDET

IOSEPHUS PAGGEN

AQUISGRANENSIS.

OPPONENTIBUS:

IOH. HENR. TIEKMANN, med. et chir. cand.
CHRIST. MICH. MUELLER, med. et chir. cand.
BERN. MAX. LERSCH, med. et chir. cand.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXXXVIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41544719_0280

PRAECEPTORI ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MED. CHIR. PHILOS. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITTER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

ATQUE

REVERENDISSIMO, MIHI BENEVOLENTISSIMO VIRO

ANT. GODOF. CLAESSEN,

REGIO CONSISTORII ET RERUM PUBLICARUM ADMINISTRANDARUM CONSILIARIO, ATQUE CANONICO CAPITULARI IN ECCLESIA COLLEGIALI AQUISGRANENSI, EQUITI ETC.

Ventriculi pars, quae pylorus dicitur, saepius aegrotat, et de ea plus scriptum est quam de reliqua ventriculi parte, quare adhortante domino consiliario intimo, professore meo spectatissimo, Fr. Nasse, institui operam quam possem dare ad cognoscendum, num pars media ventriculi an cardiaca morbo affecta sit, ventriculo quidem aegrotante.

Id quoque commemorandum censeo, me non certum finem habere inter partem cardiacam et partem mediam, item inter mediam et pyloricam. Ita autem feci, ut, si scriptor dixerit, tumor vel ulcus vel aliud quoddam „non procul a cardia" vel „prope a cardia" inventum, ut igitur portionem cardiacam affectam fuisse putaverim, si autem scriptor dixerit, „pars media affecta", vel tumor „in media curvatura minori vel maiori", vel ulcus „in curvatura minori aliquot pollices a cardia", ut observationem ad partem mediam pertinere arbitratus sim.

I. *Observationes de affectionibus partis ventriculi cardiacae.*

1) Hufeland's Journal Bd. 43. 2. Stück. S. 122. Dr. Palmer affert observationem scirrhi ulcerati ad cardiam positi: R., 68 annos natus, periodico catarrho laboravit, praeterea sanus putabatur. In deglutiendo vomitus subito exortus, neque solida neque fluida alimenta permeabant; periculum suffocationis; aegrotus vocem emittere non potuit. Dolor magnus in regione sterni exortus; aegrotus valde defatigatus, evomuit mucum tenacem et id quod deglutiverat, quo facto se meliorem sensit. Postea minori negotio edere potuit, saepius vomuit sed minori contentione. Os humidum, gustus abnormis nullus, parva copia urinae foetidae, colorem lateritium habentis. Macies quo-

tidie adaucta, symptomata paulatim peiora reddita, aegrotus deglutere nihil potuit, vomendo sanguinem eiecit. — Post aliquod temporis spatium pedes tumescebant, urinae nunc odore carentis copia etiam diminuta, alvus saepius soluta, faeces nigrae, manus tumentes, calor ardens in pectore, continuo vomituritio, sputa nigra vel fusca, partes membranaceas continentia. — Angor, gustus intolerabilis, lingua modo albide obtecta, modo rubra, singultus frequens, salivae permagna copia. Aegrotus versus vitae finem fluida melius deglutire potuit. Ante mortem dormiendi cupiditas, delirium mussitans, angor. Tussis cum sputis, mixtis cum materia partim nigra, filamentosa, partim albumini simili.

Sectio: Ventriculus perparvus, materiam nigram purulentam continens. Membrana mucosa dimidii cardiae orificii inflammata, in cardiae parte dextra ulcus cancrosum, quod parietes plane destruxerat; partes adiacentes durae, scirrhosae. In huius ulceris regione lobulus sinister hepatis plane gangraenosus, coalitus cum ventriculo. Diameter cardiae orificii non ita diminuta, praeterea ventriculus normalis. Renes aliquid ulcerati visi sunt. Organa respirationis normalia.

2) Abercrombie's Untersuchungen über die Krankheiten des Unterleibs, übers. von Gerhard von dem Busch. 1830. S. 28:

Vir, 40 annos natus, tempore hiemis questus est de dolore in ventriculi regione, non continuo, modo acuto, modo obtuso. Vomitus consueto quotidie vel etiam saepius, saepe statim post cibum vel potum sumtum, ciborum appetitus parvus, aegrotus debilitatus, macie non peremtus. — Vere sequente aegrotus rursus affectus est, dolor autem minor quam antea, vomitus rarior, appetitus ciborum autem nullus, vires languentes. Alvus bene soluta.

Sectio: Versus cardiam multae maculae cinereae, variolarum cicatricibus similes, glabrae, coloris candentis, quae pro ulcerum cicatricibus habitae sunt. — In medio curvaturae minoris duo vel tria ulcera rotunda, in diametro

partem pollicis octavam, quorum margines inflammatae; nullae partes crassiores.

Observatio haecce pertinet ad morbos et cardiae et mediae partis ventriculi. Discrimen satis magnum est inter symptomata, quae aegrotus tempore hiemis et quae tempore veris sequentis exhibuit. Id autem pendere arbitror ex loco aegrotante diversis temporibus mutato. Tempore hiemis portio cardiaca ulceribus affecta, tempore veris autem sanata fuit, quod indicant cicatrices in sectione inventae. Vere autem secundum sectionem pars media inprimis laboravit.

3) Libr. cit. p. 46: Puella, 18 annos nata nonnunquam dolorem in regione ventriculi sensit, quem parvi aestimavit. Subito vespere exclamavit, regionem ventriculi digito indicavit, loqui non potuit, aegre deglutivit et mox cibos evomuit. Tempore matutino diei sequentis mortua est, viginti novem horas post accessionem hancce diei antecedentis.

Sectio: In curvaturae minoris superiori parte prope a cardia foramen parvum, quod digitus quintus concludere potuit. Interne hoc in loco pars erat ulcerata magnitudine nummi, quem Angli Schilling vocant; margines crassae, induratae, substantiae iactura satis magna. In cavo peritonaei octo librae fluidi foetidi.

4) Libr. cit. p. 87: Vir, 38 annos natus, laborabat difficultate deglutiendi; cibi in uno loco haerescere ei videbantur, qui locus secundum indicia aegroti in regione cardiae fuit; deinde cibi illico eiiciebantur. Pressu versus processum xiphoideum dolor exoriebatur, ibique aliquid duri sentiri licuit. Malum adauctum est, ita ut aegrotus vix nonnullas guttas fluidi deglutire potuerit, quas tamen in oesophagi parte inferiori aliquid versatas post brevissimum temporis spatium evomuit.

Sectio: Substantia scirrhosa, tres fere pollices longa, inde a cardia exoriens secundum oesophagum se extendens, eumque fere plane claudens. E cardia ipsa complures ex-

crescentiae in ventriculum intro impenderunt. Ventriculus praeterea normalis.

5) Eod. libr. p. 88: Vir, 60 annos natus, laboravit e compluribus mensibus deglutiendi difficultate, malum modo maius, modo minus, modo per hebdomadem deficiens. Aegrotus, macie peremtus, virium consumtione mortuus est.

Sectio: Oesophagus media in parte aliquid coarctatus; cardiae orificium tumore iuglandis magnitudine compressum, qui tumor iacuit sub externis oesophagi integumentis. Cetera normalia.

6) Andral, clinique médicale. Vol. IV. observ. XXXVII:

Figulus, annos 70 natus, ante annum cecidit, quo epigastrium valde contusum est. Aliquid postea haematemesis magna, ex quo tempore appetitus ciborum deficiens, saepius vomitus, sine ullo unquam dolore. Pluria symptomata aderant, quae hepar spectabant, praeterea lingua albide obtecta, anorexia, sitis nullus, vomitus nullus, e compluribus mensibus alvus quotidie ter vel quater fluide soluta, faeces flavae. Nunquam dolor.

Sectio: In superficie interna sacci coeci ulcus maius quam thalerus, praeterea in hepate massa cancrosa.

7) Naumann, Handb. d. medic. Klinik. Bd. 4. S. 469:

Puella, 17 annos nata, quae chlorosi laborabat, nunquam vera dyspepsia vexata fuit, modo ex aliquo tempore abdomen tumens, ructus inter ciborum concoctionem aderat. Quum duas fere horas post cibos sumtos sternutasset, subito maximus dolor calens in hypochondrio sinistro exortus, quem secutus ructus, nausea, vomitus, syncope et post quatuor horas mors.

Sectio: Peritonaeum, omentum maius inflammatum, item pars convexa ventriculi, qui in pariete anteriori prope a cardia perforatus erat. Foramen, quod iam ex longo tempore adfuerat, pseudomembrana clausum fuerat, quae membrana hac accessione aliquid rupta est, quo fluida effusa sunt. Foramen erat infundibiliforme. (Bull. des Sc. méd. T. XXVII. p. 216).

8) Libr. cit, p. 405: Prof. Naumann ipse vidit infantem fere annum natum, aphthis laborantem, in quo subito ventriculi dolor exortus tantus, ut convulsiones apparuerint, vomitus viridis, deinde cruentus, sopor, post viginti quatuor horas mors.

Sectio: Membrana mucosa ventriculi valde iniecta, in regione sacci coeci mollitie affecta, aliquid infra cardiam tria ulcera parva, quorum unum sanguine extravasato cinctum. In intestino et hepate item vestigia inflammationis.

9) Libr. cit. p. 432: Goeppert observavit virum adhuc iuvenilem et ante hoc tempus sanum, qui levi febri catarrhali affectus fuerat; simul in scrobiculo cordis sensus tensionis. Post coenam meridianam subito sensus premens, tendens in toto abdomine, quem secuta magna debilitas. Regio ventriculi neque dolens neque tumens, aegrotus refici visus est. Post duos dies vespere aeque subito accessio aequalis exorta, nunc autem cum vomitu magnae copiae nigri sanguinis cum chymo mixti. Clysmatis adhibitis faeces similes copiose depositae. Sensus caloris et impletionis in ventriculi regione valde vexavit. Ad diem decimum a prima accessione aegrotus viribus exhaustis quiete mortuus est.

Sectio: Ventriculus valde dilatatus, quinque libras seri et sanguinis coagulati continens. Prope a cardia ulcus in curvatura minori magnitudine duorum grossorum, in membranam muscularem penetrans. Ulcus ramum non parvum venae coronariae sinistrae arroserat, unde sanguinatio. (Rust's Magaz. Bd. XXXII. Heft 3. S. 508.)

10) Eod. libr. p. 437: Wittke hancce observationem enarrat. Vir ex multis annis de abdominis affectionibus maxime variis questus est, inprimis de colica, de dolore in dorso, de alvo non secundum normam soluta, et de vomituritione. Nunc ventriculi dolor maximus, gustus valde acidus, vomituritio, deinde dolor in regione sacrali. Cardiae regio valde dolens, si quidem premebatur. Aegrotus demortuus est vomituriens sine vomitu.

Sectio: Prope a cardia duo foramina plane rotunda,

grossi magnitudine, margines acuti, membranae ventriculi adiacentes crassae, praeterea vestigia ventriculi inflammationis nulla, sed aliorum organorum abdominis. (Rust's Magaz. Bd. XXVIII. Heft 1. S. 83.)

11) Portal cours d'anat. médic. T. V. p. 196:

Mulier melancholica marasmo demortua est. Aderat vomitus vehementissimus, facultas deglutiendi plane deficiens, respiratio difficillima, dolor magnus in regione epigastrica, ibique tumor magnus sentiri licuit.

Sectio: Tumor induratus, ovo gallinaceo maior, in regione superiori prope a cardia positus, hocce orificium plane claudens; alius tumor prope a pyloro castaneae magnitudine. — Duo tumores inventi sunt, alter ad cardiam, alter ad pylorum positus. Illum multo maiorem, cardiae orificium claudentem, symptomata, quae adsunt, ad maximam partem vel omnia exhibuisse censeo.

12) Chardel, Monographie des dégénérations skirrheuses de l'estomac p. 17:

Sutor quidam ante aliquot annos vehementi dolore colico et dolore ventriculi laboravit, nunc aderat difficultas deglutiendi, primo si aegrotus lactucam, deinde si carnem, panem et ad finem si quemlibet cibum edere conatus est. Primus bolus in oesophago haerescebat, si aegrotus alterum bolum deglutire conabatur, utrumque cum dolore, nonnunquam cum magna muci copia evomuit. Nihil nisi iuscula deglutire potuit. Post aliquod tempus continuo dolor magnus in regione epigastrica, obstructio alvi tanta, ut quotidie clysmatis opus fuerit. Cura adhibita aegrotus nutrimenta vegetabilia deglutire potuit, animalia vero evomuit, se aliquid meliorem sensit et clinicum reliquit. Alvi obstructio remanserat. Post aliquod tempus aegrotus rursus receptus est; ob maximam debilitatem loqui non potuit, manu pharyngem significavit dolentem, deglutire fere nihil potuit. Post aliquot dies maxima lassitudo, aegrotus prorsus nihil dicere potuit.

Sectio: Scirrhus oesophagi, parietes pollicem crassi.

Medio in scirrho, qui se pollices quatuor usque ad ventriculi orificium superius extendit, indurationes ulceratae.

13) l. c., p. 22: B., semper parvis molestiis vexata est, inter aliquot annos ter vel quater dolorem colicum perpassa est. Dolor ille rursus apparuit in regione umbilicali et regionibus hypogastricis; in regione epigastrica sinistra et ad scrobiculum cordis dolor nullus; ab hoc malo in duabus hebdomadibus liberata est. Ex hoc autem tempore questa est de sensu ad ventriculum abnormi, quem describere non potuit. Post duos annos haecce symptomata: Vomitus frequens materiei fuscae, alvus valde raro soluta, idque magna cum contentione, faeces parcae, meteorismus, dolor magnus in abdomine in primis in regione hypogastrica dextra, regio versus ventriculum tensa sine duritie; dolor ille pressu adauctus, somnus et appetitus ciborum nullus, magna inquies, gustus amarus, os siccum, pulsus durus. — Deinde vomitus frequentior, ita ut potus ad ventriculum non pervenire visus sit, vomitus facillimus, post aliquot dies materia fusca sine odore evomita est. Macies adaucta, alvus etiam rarius soluta, faeces parcae, fere eiusdem coloris ac materia evomita.

Sectio: Pancreas scirrhosum. Oesophagus tanquam contractus et plane scirrhosus versus ventriculum et pollicem supra, ibique paene oblitteratus. Orificium ventriculi superius plane scirrhosum in extensione pollicum duorum. Ventriculus vacuus, laxus, tanquam ab intestino contusus, praeterea normalis. Pylorus plane normalis. Intestinum tenue fere totum scirrhosum, parietes valde crassi, duri, cavum eius angustum. Colon inflammatum, gangraenosum visum est.

In hac aegrota symptomata mixta fuerunt. Prima illa accessio descripta et dolor ille fixus in regione umbilicali et in regionibus hypogastricis, pressu adauctus, non ad ventriculum pertinuisse videntur.

14) l. c. p. 27: Famulus quidam ex aliquot annis debilitari incepit. Gustus fuit malus, appetitus ciborum paulatim

amissus, vires plane languentes, digestio initio debilis, nunc plane turbata, aegrotus nutrimenta modo levissima ferre potuit. Ex quatuor mensibus cordis affectiones, nausea, gustus multo peior, aegrotus saepius exspuere coactus est. Quotidie saepius inprimis post cibos sumtos vomitus salivae cuiusdam mucosae sine cibis. In viginti quatuor horis aegrotus evomuit quatuor quadrantes materiae mucosae, tenacis, saporis acidissimi, qua materia os tanquam veneno affectum est. Debilitas maxima, abdomen et membra inferiora tumescentia, facies aliquid tumida, lingua non obtecta, gustus foetidus, omnis dolor infra processum xiphoideum. Premendo ibi tumor satis magnus non ita distincte sentiri licuit. Obstructio alvi continua, ex aliquo tempore saepe dolor colicus magnus. Deglutitio fluidorum difficilis.

Sectio: Scirrhus ulceratus inde a cardia secundum totam curvaturam minorem ventriculi se extendens. Glandulae scirrhosae superficiales brassicae venereae similes. Ulcera odorem acidum reddiderunt et foetorem insuperabilem.

15) l. c. p. 31: Vidua, 64 annos nata, primo sensit dolorem nocte in regionibus episgastricis, lumbalibus et in dorso. Digestio turbari incepit, obstructio alvi. Interdum vomitus alimentorum semicoctorum, quae soporem acidum praebentia, interdum cum materia modo albuminosa modo crassa mixta erant. Mox ventriculus alimenta solida non tulit, sed statim evomuit, tantum fluida, calide sumta superabantur, item aliquid vini adusti. Post aliquod tempus vomitus quotidianus vel etiam frequentior, vires languentes, macies. Dolor in epigastrio et flatus valde vexant, quotidie alvus semel vel bis soluta ex coffea, faeces flavae vel subnigrae. Postea aegrota macra, nausea nulla, pectus non dolens nisi in tussiendo, quo magna copia materiae purulentae eiicitur. Quotidie tempore matutino vomitus sine magna contentione materiae tenaeis cum alimentis et lineis subnigris.

Sectio: In abdomine magna copia fluidi cum sedimento rubro. Hepar scirrhosum. Vesicula fellea deerat, in cuius loco cicatrix profunda. Cardiae orificium durum, scirrho-

sum, crassum, coarctatum. Oesophagus coarctatus, ulceratus, in pollicis latitudine. Saccus coecus ventriculi durus, crassus, coarctatus, ulceratus, excrescentiis tectus.

Symptomata ad maximam partem quidem e cardia laborante, partim autem ex hepate degenerato pendebunt.

16) l. c. p. 35: Vir, 62 annos natus, valde debilitatus, laboravit ex quindecim mensibus vomitu magis minusve statim post cibos sumtos, nunquam obstructio alvi, faeces eo tempore subnigrae, tenaces.

Sectio: Ventriculi parietes debiles, pars media coarctata; in margine superiori ulcus latum usque ad diaphragma et ad pericardium. Ad cardiae orificium scirrhus, e quo sanies nigra destillabat.

17) Schwarzenbergi dissertatio de scirrho ventriculi Bonnae 1818. p. 7:

Vir quidam questus est ex nonnullis diebus de dolore inter umbilicum et spinam ossis ilii; concoctio aliquid tarda, interdum ructus, saepe alvi obstructio. Paulatim ciborum appetitus minor, ructus frequentior. Post duos menses appetitus ciborum nullus, ructus continuus, dolor nullus nisi in loco illo infra umbilicum iacente, saepe alvi obstructio, macies crescens. Subito tumor in regione superiori abdominis dolens, pulsans, potius extensus quam elatus, ita ut pro aneurysmate habitus sit. Vox paene sublata, aegrotus inquietus, iracundus, gustus insipidus, mucosus, ciborum appetitus nullus. Tres dies ante mortem prima nausea, bis vel ter per diem vomitus fluidi valde foetidi, coloris nigri, gustum fastidiosum praebentis. Tumor illo pollices fere duos magnus, dolens. Alvus semper obstructa.

Sectio: Tubulus intestinorum valde contractus. Ventriculus magnus, fluidis plenus. Prope ab oesophago tumor cancrosus, pollicem longus; duos pollices crassus, se supra cardiam extendens, a curvatura minori usque fere digitos duos a curvatura maiori. Parietes adiacentes ubique cancrosi, pollicem crassi. In superficie posteriori foramen satis magnum, quod cum pancreate affecto coalitum erat.

Cardiae orificium, quod media in massa destructa versabatur, ventriculi crassis parietibus compressum et permultis putridis excrescentiis clausum erat, ita ut acumen digiti quinti penetrare non potuerit.

18) Diss. cit. p. 14: C. M. 40 annos natus, prima vice ante annum interdum de dolore per totum abdomen questus est; potator fuit neque diaetam observavit. Postea dolor ille maior, ad quamcunque fere horam rediens, trahens, torquens, incidens, semper a regione pubis ad umbilicum ascendens, pressu non auctus, calore imminutus. Dolor, si per aliquod tempus in regione umbilicali fuerat, ascendebat per totum abdomen, in dorsum, in humerum utrumque, tum subito evanescebat, quo facto aegrotus nullo malo vexabatur. Post iter duorum dierum aegrotus subito valde defatigatus, in terram concidit, dolore vehementi abdominis vexatus. Dolor ascendit in partem sinistram pectoris, rursus evanuit, quo aegrotus quiete mortuus est.

Sectio: Colon transversum praebuit ambitum valde parvum. Ventriculus extensus, parietes fere pollicem crassi, in pluribus locis duritiem cartilaginis habuerunt. In sacco cocco prope cardiam locus magnitudine thaleri maxime cartilaginosus, margine elato, valde duro cinctus.

19) Alexander Monro, The Morbid Anatomy of the human Gullet etc. Edinburgh 1811. p. 327. et Plate X.

Aegrota primum in graviditate questa est de levi dolore in regione epigastrica, de ventriculi extensione, paucos dies post partum de deglutiendi difficultate; aliquot mensibus post nihil nisi fluida deglutire potuit, idque magna cum contentione. Quae deglutire voluit, modo usque medium in pectus penetraverunt. Aegrota sensit, ea ibi retineri, modo pro parvo tempore, modo pro nonnullis horis. Maior pars rursus reiiciebatur, et nonnumquam quoque pars altera minor, quae ad ventriculum venerat, evomebatur. Mors e nutritione deficiente secuta esse visa est. Aliquot dies ante mortem aegrota tam debilis fuit, ut loqui non potuerit, quin plane exhausta redderetur. Macie minus con-

fecta fuit, quam secundum parvam copiam alimentorum, quae deglutire potuit, exspectari licuit.

Specillum vix usque ad mediam partem pharyngis penetravit.

Sectio: p. 326: Pharynx maxime dilatatus, crassior et durior, et in pollicis longitudine ita contractus, ut caulis pennae vix penetraret. Tres scirrhi tam crassi quam olivae in tela cellulosa inter ventriculi membranas positi, stricturam illam effecerunt. Scirrhus extensus usque ad curvaturam minorem, item scirrhus in diaphragmate, pancreate et utero.

20) Cruveilhier, Anat. Pathol. IV. Livraison. Planche I. figure II.

Senex, 83 annos natus, laboravit diarrhoea ex parvo temporis spatio. Ante mortem aliqua mentis exagitatio adfuit.

Sectio: In parte dextra pollicem dimidium a cardia locus magnus gangraenosus in curvatura minori et in pariete adiacente anteriori et posteriori.

21) Theophili Boneti Sepulchretum. De ventriculi dolore obs. V:

Iuvenis, cum lauto convivio interfuisset, eadem nocte dolore stomachi correptus fuit; secund. obs. II. de vomitu et nausea: cum vomitu omnium ingestorum. Paulatim dolor ille ita auctus est, ut de maximo cruciatu oris ventriculi, ventris et artuum conquereretur. Secund. obs. I. de inappetentia: Dolorem secutus est vomitus, anorexia et post menses octodecim mors. Secund. obs. XIV. de dolore capitis: Dolor ille quidem ab initio mitis, postea auctus et vagus factus est. Deinde autem aegrotus de dolore acutissimo capitis, mox et in ipso momento de maximo rursus cruciatu oris ventriculi, ventris et artuum conquerebatur cum vomitu omnium ingestorum; anorexia, vigilia adfuit.

Sectio: In cerebri ventriculis ad duas libras aquae limpidae; arteriae et venae membranarum cerebri turgescebant. In ventriculi orificio superiori et quidem ex parte anteriori

ulcus erat magnum et foetidum, quod in vacuum usque ventriculi penetrabat. Verisimile esse dicit, ossiculum aliquod acutissimum rugae alicui oris ventriculi inhaesisse.

Quid in hoc casu cerebro affecto tribuendum sit? Symptomata ad ventriculum potius pertinere videntur.

22) L. c. De deglutitione laesa obs. XXI. p. 36: Mulieri cuidam os ventriculi ita tuberculo duro, eoque ingenti obturabatur, ut, quidquid indebatur, attacto ore ventriculi, mox remearet atque redderetur. Ad finem desipientia adfuit.

23) L. c. De deglutitione laesa obs. XXII. §. 1. p. 36: Mulier per longum tempus angebatur deglutiendi difficultate maxima et magno gulae ardore. Aucta gulae angustia, vix quid liquidi in ventriculum immisit. Ventriculus ad vomitum excitatus, egerebat interim cibum, interim etiam pituitam cum bili crassa permixtam. Tandem nutrimento destituta et ad extremam maciem perducta est. Secundum eius verba simili morbo pater et sorores occubuerunt.

Sectio: Ad ventriculi orificium scirrhus pugni magnitudinem excedens, substantiae gulae innatus, qui crassitie ac tumore angustabat et obturaverat oesophagi finem.

24) Ibidem §. 2: Vir quidam per plurimos menses insigni et molesta deglutiendi difficultate laboravit, quae tandem adaucta est ita, ut nihil in ventriculum cibi potusve descenderit, quin protinus ingesta quaevis, ubi orificium ventriculi superius attigerant, sursum remearent; tabes et mors secuta.

Sectio: Tumor durus, scirrhosus, orificio superiori ventriculi adnatus, adeo ut meatus omnino praecluderetur.

25) L. c. De siti morbosa. Obs. II. p. 23: Carolus S., duodecennis, per duos annos febri intermittente laboraverat. Versus vitae finem vomitus quandoque, assumta non alterata reddebantur.

Sectio: Lien subturgidus ac pone lienem in ipso ventriculi fundo gangraena tam gravis ut ipsamet ventriculi substantia in atrum ac foetidissimum succum protinus difflueret; omentum fere absumtum.

26) Libr. crit. De vomitu et nausea. Obs. XIV. p. 96: Vir quidam sputa sanguinea eiecit; phthisi non laboravit; accedit vomitus continuus.

Sectio: Abdomen aqua repletum, ventriculus circa orificium perforatus.

27) Ibidem obs. XVI. p. 96: Steatoma parti internae orificii superioris ventriculi adnatum, ovi magnitudine. Vomitus continuus adfuerat.

28) Ibidem: Steatoma digitum longum ad sinistrum ventriculi orificium. Vomitus adfuerat.

29) Ibid.: Aegrotus nausea et vomitu laboravit.

Sectio: Ventriculus laxatus et valde extenuatus. Orificium superius flaccidum plane, ob quas causas tantam nauseam et vomitus passus est, etc.

30) Ibid. Obs. XXIV. p. 570: Vir quidam querebatur de languore stomachi; sensim deficiebat ob impotentiam sumendi alimenta, quae deglutita ad ventriculum pervenire non posse videbantur. Tandem vehemens vomendi stimulus et atri humoris mediocrem copiam evomuit, deinde febris, marasmus, mors.

Liquida difficilius deglutiebat quam solida (uti putat ex oesophagi angustia, quae angustia e ventriculi detrusione originem duxerit).

Sectio: Ab hepate ventriculus depressus erat et orificium illius superius a superincumbente hepate valde compressum ac veluti strangulatum.

31) Morgagni, de sedibus et causis morborum. Litt. XXIX. No. 16:

Cardinalis Baronius ulceribus tribus ad cardiam sitis diem obiit. Nausea insuperabilis adfuerat.

II. *Observationes de affectionibus partis ventriculi mediae.*

1) Abercrombie's Untersuchungen über die Krankheiten des Unterleibs, übers. von Gerhard von dem Busch. 1830. p. 31:

Mulier nonnunquam questa est de dolore et sensu pressionis in regione ventriculi, interdum intervallis incertis vomuit, macies. Duos menses ante mortem vomitus frequentior, diarrhoea. — Locus induratus magnus sentiri potuit. Demortua viribus exhaustis.

Sectio: In curvatura minori locus induratus, tres pollices longus, duos latus. Praeterea ventriculus normalis.

2) Eod. l. p. 42: Vir, 40 annos natus, difficultate ciborum concoquendorum et dolore laboravit, subito sensus debilitationis exortus, deinde magna copia fluidi atramento scriptorio similis evomita est. Tribus diebus sequentibus interdum aequale fluidum per os et per anum abiit, die quarto dolor magnus in ventriculo, sanguis purus evomitus, quod semel repetitum, deinde mors.

Sectio: In medio curvaturae minoris inter cardiam et pylorum locus induratus, magnitudine nummi imperialis maioris, in cuius medio ulcus pollicis dimidii.

3) L. c. p. 53: Famula valida, nunquam ventriculo laboravit; subito peritonitis exorta.

Sectio: In medio curvaturae minoris foramen rotundum, membranae adiacentes crassae ad pollicem dimidium. Locus laceratns similis fuit cicatrici ulceris.

4) L. c. p. 28: Observatio inter cardiae affectiones sub No. 2. descripta.

5) Chardel, Monographie des dégénérations skirrheuses de l'estomac. p. 37:

Tritor colorum ex longiore tempore de pressu incommodo et dolente in ventriculi regione post cibos sumtos questus est, deinde cibos post aliquod tempus commu-

tatos evomuit. Alvus pertinaciter obstructa. Colica pictorum non laboravit.

Sectio: Scirrh. magnus, non ulceratus a pyloro, qui non affectus, ad curvaturam minorem ventriculi.

6) Eod. l. p. 39: Famulus, 57 annos natus, per longum tempus magna sollicitudine affectus est. Ciborum concoctio lenta et difficilis reddita, simul sensus impletionis et impedimenti in ventriculo. Postea ciborum concoctio etiam peior, nullum impedimentum sed dolor acutissimus in regione epigastrica, deinde obtusior, plus minusve post cibos sumtos durans. Post cibos concoctos aegrotus meliorem se sensit. Aegrotus edere fere non ausus est. Nonnunquam nausea, bis vel ter vomitus, in regione epigastrica aliquid duri sentiri potuit, levis pressus dolorem effecit.

Sectio: Scirrhus non ulceratus secundum curvaturam minorem.

7) Ibid. p. 42: Vidua, 38 annos nata, ex sex annis sollicitudine vexata, minus valuit. Ante aliquod tempus dolor in regione epigastrica, nausea, vomituritio vehemens, deinde vomitus, quoties cibos vel potus sumsit. Mox tumor magnus ad partem sinistram regionis epigastricae, dolor per totum abdomen, diarrhoea pertinax. Aegrota neque solida, neque fluida nutrimenta superare potuit, solida cum contentione deglutivit. Versus dies postumos vomitus rarior. Materia evomita odorem edidit uti faeces.

Sectio: Curvatura maior et minor reddunt tumorem magnum. Versus interiorem partem ventriculi ulcus foetens. Colon praebet parva ulcera.

8) Ibid. p. 45: Lanius, 47 annos natus, ex anno tabuit. Diarrhoea laboraverat, quam miro remedio stetit; ex hoc tempore continuus dolor in hypochondrio dextro. Mox alvus frequenter soluta, faeces nigrae, appetitus ciborum imminutus. Postea frequens ructus acidus, hypochondrium dextrum tumidum, ibique dolor continuus. Vomitus nullus. Faeces etiam nigriores, interdum cum sanguine, alvus frequentius soluta. Macies adaucta est.

Sectio: Pars media curvaturae maioris cum diaphragmate coalita et sursum tracta. In latere interno scirrhus ulceratus, pollicem magnus. Parietes affectae ad minimum duos pollices crassae, sanie nigra tectae. Diaphragma loco, quo cum ventriculo coalitum erat, durum, scirrhosum.

9) Ibid. p. 48: Vir, 49 annos natus, ante octo annos diarrhoea, dolore ventriculi et vomitu laboravit. Nunc questus est de ventriculi dolore, paulatim crescente; vomitus frequentior, vires languentes. Postea diarrhoea varians cum obstructione alvi pertinaci. Tumor durus, circumscriptus, satis magnus, tactu parum dolens in regione epigastrica. Vomitus apparuit modo ac si ventriculus pondus premens removere vellet, modo cum intentione et dolore; faeces nigrae; aegrotus ubique tumidus, macie affectus fuit.

Sectio: Scirrhus paene ulceratus, quatuor pollices longus, duos latus, in curvatura minori positus; in latere sinistro iuxta scirrhum locus linearum duarum perforatus.

10) Andral, clinique médicale. Vol. IV. Obs. XL:

Vir, 65 annos natus, diarrhoea ex anno laboravit; quotidie alvus ter ad quater fluide soluta, cui dolor antecedere solebat. Ex duabus mensibus aliquis dolor in regione epigastrica. Post cibos sumtos ructus acidus, interdum vomituritio, ex uno mense ascites et aliquid oedematis pedum.

Sectio: In superficie interna ventriculi versus medium curvaturae minoris ulcus, thalero maius, cuius in fundo et partibus adiacentibus tela cellulosa valde crassa, scirrhosa, membrana muscularis hypertrophica. Hepar substantia cancrosa impletum fuit.

11) Andral, Pathol. Anat. übers. von Dr. Becker. Bd. 2. p. 71:

Vir quidam interdum dolorem satis magnum in regione ventriculi sensit, et de difficultate ciborum concoquendorum questus est; subito peritonitide mortuus est.

Sectio: In cavo abdominis fluidum seroso-purulentum, in medio ventriculi ulcus magnitudine sexgrossorum, cuius margines nigrae, in fundo foramen.

12) Naumann, Handb. d. med. Klinik. Bd. 4. p. 438: Foemina debilis iam antea cardialgia laboraverat. Post emeticum propter conditionem aliquid gastricam adhibitum sensus aliquis doloris in ventriculi regione remansit. Versus mediam noctem subito dolor maximus in abdomine exortus, post aliquot horas mors.

Sectio: In abdomine circa tres quadrantes fluidi subviridis. In superficie anteriori aliquot pollices a cardia foramen magnitudine grossi, cuius margines gangraenosi, partes adiacentes subflavidae. Membrana mucosa adiacens crassior, paene scirrhosa. Uterus quoque et ovaria amplificata et indurata. (Clarus und Radius, Wöchentl. Beitrag zur med. u. chir. Klinik. Bd. II. S. 332.).

13) Schwarzenbergi dissertatio de scirrho ventriculi. Bonnae 1818. p. 10:

G. T. vir antea sanus post refrigerationem et haemorrhoides suppressas bis haematemesi laboravit. Deinde dolor premens in ventriculi regione, modo maior modo minor, nunquam evanescens. Post hebdomades sex dolor maior, urens, pungens, in regione ventriculi et costarum spuriarum, praecipue post cibos sumtos adauctus; dolor capitis. Regio ventriculi tumens. Ructus vehemens, inter quem aegrotus putat in ventriculo aliquid ascendere et rursus considere. Postea delirium mussitans, tussi interdum interruptum, quod evanuit quum haemorrhois provenisset. Sensus pressionis in ventriculo, tumor in latere sinistro pressu sentiri potuit. Postea delirium per longius tempus. Appetitus ciborum nullus, ructus continuus, valde molestus.

Sectio: Ventriculus dimidio maior, cardia longo itinere cum margine lobi dextri hepatis membrana tendinosa firmiter concreta. Quum ventriculus incisus esset, apparuit massa quaedam placentae similis, parieti ventriculi concreta, cuius centrum in medio curvaturae minoris.

In hoc casu symptomata mixta sunt. Pars media ventriculi quidem potissimum affecta fuit, sed cardia quoque

laboravit. Praeterea haemorrhoides suppressae complicationem reddebant.

14) Diss. cit. p. 17: Operarius salinarius, 44 annos natus, post ictum vehementem in abdomen mox sanguinem evomuit, dolor magnus in regione ventriculi exortus, postea potius premens, nunquam evanescens. Fluidum aquosum postea in ore confluens, raro ructus. In moribundo primum vomituritio, ructus frequens, vomitus nullus; tempore postumo tussis, hydrops. Abdomen extensum, inflatum, rarissime alvi obstructio.

Sectio: Ventriculi parietes in parte media pollicem unum et dimidium crassi, cardia et pylorus normales. In pariete anteriori tumor prope a cardia, versus curvaturam minorem pendens, quatuor pollices et dimidium longus, tres pollices latus.

Cardia, dicit scriptor, fuit normalis, sine dubio cardiae orificium. Tumor autem magnus inventus prope a cardia, partem igitur cardiacam quoque affectam fuisse et symptomata mixta esse arbitror.

15) Cruveilhier, Anatomie Pathol. Planche V. Fig. 1.

Vir, 36 annos natus, levi accessione cholerica vexatus est. Debilitas remansit, quae mox adaucta, ciborum concoctio lenta, sensus impletionis ventriculi et angustiae facile exoriens. Anno sequente: Dolor obtusus in regione epigastrica, sensus pulsationis in eodem loco, appetitus ciborum fere nullus, obstructio alvi. Postea vomitus sanguinis nigri, pluribus diebus sequentibus repetitus, simul alvus per plures dies sanguinem cum dolore deposuit. Regio epigastrica tensa, pressu aliquid dolens, per totum corpus oedema. Sensus gravitatis et caloris in epigastrio, concoctio ciborum difficillima, diarrhoea, mors.

Sectio: Ventriculus: in pariete posteriori defectus substantiae in medio inter pylorum et cardiam, cuius diameter maxima duos pollices et dimidium. Locus ille subalbidus, glaber, texturam fibrosam, minime mucosam ostendens, margo durus, acutus. Arteria et vena splenica erosae fuerunt.

16) Theophili Boneti Sepulchretum. De vomitu et nausea Obs. XXVI. p. 102:

Aegrotus creberrimis vomitibus diu vexatus.

Sectio: Ventriculus duplex; Locus, ubi duo haec cava separabantur, interne valde angustus erat, ita ut vix digitum minimum reciperet; substantia ipsa hic crassa, dura, mollioris quasi cartilaginis speciem referens. (Gerardus Blasius p. 4. obs. med. IX.).

17) Morgagni, de sedibus et causis morborum. Litt. XXIX. No. 14.

Anus sensu quodam molesto in ventriculo, vomituritione, non vomitu vexata fuit.

Sectio: In medio superioris lateris ventriculi ulcus, fere rotundum, cuius diameter paene tres pollices. Margines aliquid duri, sed omnis quoque substantia ventriculi externe adiacens crassior, durior. Ventriculus medio in ulcere perforatus.

18) Ibid. Litt. XXX. art. 7: Mulier prima aetate lac saepissime evomuerat; 30 annos nata, in puerperio vomitu saepe vexari incepit. Vomitus viginti quatuor annos ex hoc tempore adfuit, quotidie duas horas post coenam meridianam, non post cibos vespertinos sed demum horis matutinis diei sequentis. Materia evomita fuit alba, tenax, crassa. Si aegrota vomitum suppresserat, magna molestia in ventriculi regione exorta est, quam vomitus cum contentione deinde levamen secutum est. Alvi obstructio. Aegrotae mater vomitu aeque laboraverat, filia vomere inceperat.

Sectio: Ventriculus valde contractus, praecipue versus pylorum, tanquam in duo cava partitus. Reliquum intestinum valde contractum, inprimis intestinum tenue. Vesicula fellea maxime crassa.

19) Ibid. Litt. XXXVI. 2: In muliere mensem ante mortem dolor ventriculi exortus est, aliquot diebus vitae ultimis vomitus.

Sectio: Ventriculus in media parte angustior. Hepar permagnum, induratum, ventriculum compressit.

20) Tres observationes inveni, in quibus coarctatio partis mediae ventriculi aderat, quae coarctatio nulla symptomata, ventriculum spectantia, reddidit: Ibid. Litt. XVI. art. 38; Litt. XXVI. art. 31; Litt. XXXVIII. art. 28.

Recensio symptomatum.

Ventriculi morborum diagnosi faciendae saepe magnae, uti iam initio dixi, difficultates se offerunt. Symptomata, quae inprimis ventriculum spectare arbitramur, non raro, ventriculo valde affecto, plane desunt, vel symptomatis illis apparentibus, ventriculus non laborat. Quare hoc loco ut in omnium organorum diagnosi reddenda maxime iuvat, non modo symptomata singula afferre sed etiam accuratius describere, deinde quam plurima quamvis leviora symptomata inquirere, ut symptomatum numerus nos in diagnosi facienda adiuvare possit. Quare singularum ventriculi partium diagnosin facturus, institui non singula symptomata enumerare, sed ea, quantum secundum observationes liceret, describere, neque leviora negligere.

1) *Deglutiendi difficultas* in morbis portionis cardiacae saepissime invenitur, et fortasse semper, si cardiae orificium ipsum laborat (1. 5. 11. 12. 19. 23. 24. 30.). Saepius inveni, aegrotum fluida melius deglutire potuisse, quam solida (12. 19. 23.). Unam observationem inveni, ubi aegrotus solida melius deglutire potuit quam fluida (30.). Saepius aegroti confirmant, alimenta in regione, quae respondet oesophago vel cardiae, haerescere, donec ingesta rursus eiecta sint (4. 12. 13. 19. 30.). Semel specillum adhibitum locum indicavit (19.). Semel tantum in morbis partis med. inveni deglutiendi difficultatem (7). Sed magnus ille tumor quoque cardiae orificium compressisse mihi videtur. Constare censeo ventriculi laborantis portionem cardiacam esse affectam, si deglutiendi difficultas adest, nulla ratione habita, utrum solida, quod solet, an liquida difficilius deglutiantur. Item port.

card. peccat, si alimenta primo in regione cardiae haerescere videntur, deinde evomuntur, vel si specillum illam portionem indicat.

2) *Vomitus* in observationibus et de partis cardiacae et de partis mediae affectionibus saepe invenitur, sed discrimine satis magno. Portione cardiaca laborante alimenta vel evomuntur simulac ad ventriculum pervenerunt, vel quoque citius (2. 4. 16. 19. 22. 24.), vel si vomitus non statim sequitur, cibi evomiti nondum cocti sunt (14. 15. 25). Etiam in portionis mediae affectionibus vomitus saepe invenitur, sed neque tam frequens, neque tam fixo tempore rediens, quam in cardiae morbis. Vomitus apparet vel aliquot horis post cibos sumtos, neque unquam reddit cibos non coctos, vel intervallis maioribus relictis (1. 4. 5. 9. 15. 18). Saepius quoque in morbis ventriculi utriusque partis vomitus vel plane deest vel rarissime apparet. Ad part. card. pertinent 3. 5. 7. 10. 17. 18. 20., ad port. med. 6. 10. 11. 13. 14.

Vomitus in partis card. affectionibus fere nunquam deest, nisi, quod saepius inveni, symptomata fere omnia, quae ad cardiam vel ventriculum spectant, desunt; in part. med. affectionibus saepius deest, si autem adest, aut aliquot horis post cibos sumtos aut, quod solet, sine ulla regula apparet.

3) *Dolor* in utriusque partis et card. et med. affectionibus invenitur, et in utraque parte magnus vel parvus, continuus vel intermittens esse potest, et in primis sedem habet in regione epigastrica, quare ex his non facile discrimen invenire licet. Ad part. card.: 2. 3. 11. 12.; ad part. med.: 1. 7. 9. 10. 15. 14. In eo autem aliquod discrimen est, quod in card. affectionibus dolor nonnunquam magis sedem habet pone processum xiphoideum (4. 14.), dum in part. med. affectionibus dolor potius in hypochondrio dextro et versus costas spurias versatur (8. 10). Deinde quod in part. card. dolor saepe in dorsum, in pectus ad pharyngem et humeros ascendit, quod non in part.

med. (1. 10. 12. 18. 21. 23.); in part. med. autem dolor saepius adaugetur post cibos sumtos (5. 6. 13.).

Dolor in utriusque partis affectionibus saepius plane deest.

4) *Sensus quidam abnormis* in regione ventriculi saepe invenitur in part. med. affectionibus (1. 5. 6. 13. 15. 17.), semel inveni sensum abnormem in part. card. (13.), sed non satis patet, num eo tempore, quo cardia affecta fuit, sensus ille adfuerit.

5) *Tumor* nonnunquam aegroto et macie affecto et non affecto sentiri licet in part card. versus processum xiphoideum vel in regione epigastrica (4. 11. 14.), in part. med. affectionibus vel in regione epigastrica vel quoque in regione epigastrica sinistra (1. 6. 7.).

6) *Concoctio ciborum turbata* in morbis part. card. rarissime invenitur, in morbis part. med. autem saepe, ibique nonnunquam de nihilo nisi de hac idque quam maxime queruntur, ita ut concoctione finita se sanos putent. Ad part. med.: 2. 6. 11. 15. — Ad part. card.: 14, ubi quoque pars med. affecta fuit, et 15, ubi turbatio perparva fuisse videtur.

7) *Alvi obstructio et diarrhoea* invenitur. Obstructio potius indicat morbum part. card. (12. 13. 17), in partis med. morbis eam semel inveni (5.), ubi aegrotus fuit tritor colorum.

Diarrhoea potius partem med. spectat (1. 7. 8. 10.), semel in partis card. affectione apparuit (20.), ubi non e ventriculo originem duxisse videtur. Faeces nigrae in affectionibus partis card. (1) et partis med. (2. 8) inveniuntur.

8) *Nausea* in parte card. saepius et magis molesta invenitur quam in parte media. In parte card. 14. 29. 31; in parte med. 6.

9) *Ructus*, quoque vomitu deficiente, *ciborum appetitus* modo turbatus, modo plane deficiens, *gustus mutatus* et in partis card. et partis med. morbis saepius inveniuntur.

10) *Liquidi confluxus in ore* est secundum Petzold

potius symptoma morbi partis med., secundum Chardel vero potius part. card. Ad part. card.: 1. 14, et semel os siccum invenimus: 13. Ad part. med.: 14, in hac autem observatione prope a cardia tumor magnus inventus, ita ut quoque pars card. sane affecta fuerit.

11) *Tussis et alia symptomata organa respirationis spectantia* non raro in ventriculi morbis observantur. Naumann, Handb. der med. Klin. Bd. 4. p. 471; Bd. 1. p. 412; Broussais. — Haec autem symptomata tantum partem card. indicare videntur. Hunc pertinent observationes eo loco, quo de dolore dictum est, commemoratae, in quibus dolor in pectus, ad pharyngem ascendit. Praeterea organis respirationis postea normalibus inventis tussis, sputa, respiratio difficilis, et cordis affectiones apparent (1. 11. 14. 20. 26); tales observationes in partis med. affectionibus inveni duas: 13. 14. In quarum utraque pars card. quoque affecta fuit, praeterea in 13. haemorrhoides suppressae adfuerunt.

12) *Vox impedita* spectat partem card. (1. 12. 17. 19.)

13) *Debilitas magna* saepe invenitur in aegroto, qui macie affectus non dicitur, quae observationes ad part. card. pertinent (11. 12. 14. 16. 19). Macies autem, nonnunquam maxima, in utriusque partis affectionibus invenitur. In parte card.: 1. 17. 23. 25. In parte media: 1. 8. 9.

14) *Intumescentia hydropica* saepius invenitur, et partem mediam indicare videtur: 8. 9. 10. 14. 15. — Bis autem eam inveni in partis cardiacae morbo: 1. 14. In harum observationum prima renes, in altera quoque pars media laboravit.

15) *Cerebri affectiones*, quae saepius ante mortem apparent, partem card. indicant (1. 13. 17. 21), unam observationem partem med. indicantem inveni (13), in qua simul haemorrhoides suppressae adfuerunt.

Non raro aegrotus ante annos morbo quodam ventriculi vel abdominis, in quo in primis dolor ventriculi, cardialgia, diarrhoea vel modo imbecillitas eminet, affectus fuit,

a quo morbo se omnino restitutum vel quoque non plane restitutum esse arbitratur, tum morbus symptomata multo maiora et pertinacia subito praebere incipit. Ita in partis card. morbis (10. 12. 13. 18) et in partis med. morbis (7. 9. 12. 15.)

Saepe tam pauca symptomata exhibentur, ut nemo de ventriculi morbo cogitet, ita „interdum dolor, vel ructus, vel ciborum appetitus imminutus“, vel ne ullum quidem symptoma adfuit, et subito, perforatione vel sanguinatione exorta, aegrotus ad finem pervenit. Ita in partis card. morbis 3. 6. 7. 8. 9. 18. 20; et in partis med. morbis 3. 11. 12.

Dubitari non potest, quin, hac distributione in partem cardiacam et partem mediam facta, in his ipsis partibus rursus varios locos distinguere liceat, qui varia symptomata exhibeant secundum functionem his locis potissimum propriam, vel secundum maius minusve impedimentum ab alimentis his locis affectis mechanice exhibitum.

Ita nimirum symptomata non eadem sunt, si tumor vel scirrhus ad latus sinistrum vel dextrum cardiae orificii vel in sacco coeco haeret. In primis saccus coecus pauca symptomata praebere videtur (6. 18). Eodem modo varii loci partis mediae varia symptomata exhibebunt.

VITA.

Ego, Iosephus Paggen, Aquisgranensis, patre Guilelmo Paggen, matre Anna Maria, e gente Kirchhoff, qua adhuc vivente gaudeo, huius saeculi anno decimo tertio, die decimo nono mensis Maii natus sum. Pater iam ex pluribus annis morte mihi ereptus est.

A primis vitae annis usque ad annum duodecimum in schola publica primis litterarum elementis imbutus, adii Gymnasium Aquisgranense, quod per octo annos frequentavi, ibique maturitatis testimonium assecutus, autumno anni MDCCCXXXIII almam Universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam petii, et Rectore Magnifico Brandis in civium academicorum numerum receptus, apud Decanum spectatissimum Mayer in Album Gratiosae Facultatis Medicae inscriptus sum.

Lectiones, quas in quinque his annis audivi, hae sunt:

I. *Philosophicae.*

Logice et Physiologia apud cl. van Calker; Physice experimentalis apud beatum a Münchow; Chemia experimentalis, Phytochemia et Zoochemia apud cl. G. Bischof; Zoologia nec non historia naturalis mammalium apud cl. Goldfuss; Botanice apud cl. Treviranus; Mineralogia apud cl. Noeggerath.

II. *Medicae.*

Encyclopaedia et methodologia artis medicae apud cl. Albers; Anatomia generalis et specialis apud cl. Mayer et Weber, qui mihi quoque in arte cadavera dissecandi

per semestre moderatores fuerunt; Anatomia comparata apud cl. Mayer et cl. Weber; Physiologia apud cl. Mayer; Pathologia generalis et pathologia specialis et anatomia pathologica apud cl. Albers; Materia medica, Medicina forensis, Epizootiae et Ars formulas concinnandi apud cl. E. Bischoff; Chirurgia universalis et specialis, Anatomia chirurgica, Ars operationes instituendi, Ars fascias applicandi, Therapia morborum oculi apud cl. Wutzer; De luxationibus et fracturis ossium apud cl. H. Nasse; Therapia generalis, Therapia specialis, Physiologia et Pathologia cerebri, Anthropologia, Disputationes de casibus clinicis, De medico educando, De curanda insania apud cl. Fr. Nasse; Therapia generalis apud cl. Harless; Pathologia et Therapia morborum chronicorum apud cl. Naumann; Ars obstetricia, Doctrina de instrumentis obstetriciis, De morbis uteri, De morbis puerorum apud cl. Kilian. In clinico propaedeutico per semestre cl. Fr. Nasse et cl. H. Nasse duces mihi fuerunt; in clinico therapeutico per annum et dimidium cl. Fr. Nasse mihi dux fuit; in clinico chirurgico et ophthalmico per unum semestre auscultanti, per annum practicanti cl. Wutzer dux mihi fuit, qui quoque in operationibus in cadavere instituendis mihi fuit moderator; In clinico obstetricio per unum semestre auscultanti et per annum practicanti, et in exercitationibus in phantomate instituendis cl. Kilian dux mihi fuit.

Quibus viris omnibus bene de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.

THESES.

1. *Coarctatio partis mediae ventriculi morbus non est.*
2. *Diagnosis morborum medicum maxime decet.*
3. *Est lues gonorrhoica.*
4. *Bubonem syphiliticum ad resolutionem ducere optimum est.*
5. *Cura, symptomatica dicta, laudanda.*
6. *Sectionem caesaream, matre non adnuente, facere licet.*
7. *Diagnosin inter inflammationem meningis et cerebri facere non licet.*
8. *Perforationem, foeto vivo, facere licet.*